

Kreis  
Paderborn

S. 154

1234 August 18 [XV Kalen. Septembris] Warburg.

[40]

Der Bischof Bernhard IV. von Paderborn überträgt dem Kloster Hardehausen ungerodeten Boden, den sog. kleinen Stoc bei dem Gute Dehausen, erhält dafür Ländereien in Gorbefe und trifft darüber Anordnungen.

Bernhardus quartus Dei gratia Paderbornensis episcopus omnibus hoc scriptum inspecturis in perpetuum. Noverint praesentes et futuri quod fundum quendam, qui dicitur minor Stoc, adiacentem praedio Thedehusen necdum novellatum specifiatum (!) ad nostri commodi balneum iugera circa XXV plus minusve contulimus Deo et perpetuae virgini ac fratribus in Hersw(idehusen) ipsique in restitutionem nobis dederunt iugera culta XII sita prope allodium nostrum Curbike, ex quibus etiam iugeribus duo sequestravimus conferentes unum Gerhardo schultheto, unum Winthero villico, qui iuri suo, quod in praefato fundo habere videbantur, renunciaverunt. Reliqua vero X iugera nostris deservient commodis. Praeterea sciendum, quod eo iure, quo fundum praenominatum possedimus, eodem iure possidendum monasterio contulimus, videlicet ut qui decimam, si a nostris novellatus foret, nulli solveremus, ita nec coenobium cuiquam decimam exinde persolvat. Haec descripta (sunt) sigilli nostri impressione firmavimus, inhibentes sub anathemate, ne quis factum nostrum praesumat infringere. Testes huius rei sunt Widekindus praepositus, Hermannus capellanus, Conradus noster scriptor, Bernardus de Osede, Hermannus marscalcus, Gerhardus scultetus, Ludoldus Osdag alii que castellani in Wartberg. Ubi et haec acta sunt anno gratiae MCCXXXIII, XV Kalen. Septembris.

VII, 61<sup>v</sup>. Collatum cum originali 1662 Mart. 4; sigillum fere integrum.